

rem; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater (Rom. VIII, 14-17).

CAPUT XXIX. — 26. *Patientiæ pauperum Christi merces æterna.* Clamemus ergo spiritu charitatis, et donec veniamus ad hæreditatem in qua semper maneamus, liberali amore simus, non servili timore patientes<sup>1</sup>. Clamemus, quamdiu pauperes sumus, donec illa hæreditate ditemur. Magna quippe inde pignora accepimus, quod ad nos ditandos pauper factus est Christus, quo in supernas divitias exaltato, missus est qui sancta desideria nostris cordibus inspiraret Spiritus sanctus. Horum pauperum adhuc credentium, nondum contemplantium; adhuc sperantium, nondum tenentium; adhuc desiderio suspirantium, nondum felicitate regnantium; adhuc esurientium et sitientium,

<sup>1</sup> In omnibus prope Mss., *patientes*; sed in quibusdam sic verba interpuncta sunt: *non servili timore. Patientes clamemus*, etc. In editis autem cum eadem verborum interpunctione legitur, *Patienter*, etc.

nondum satiatorum: horum ergo *pauperum patientia non peribit in æternum* (Psal. IX, 19): non quia et illic patientia erit, ubi quod toleretur non erit; sed *non peribit*, dictum est, quia infructuosa non erit. Fructum autem habebit æternum, ideo non peribit in æternum. Qui enim laborat inaniter, cum eum spes fefellerit, propter quam laborabat, merito dicit, *Perdidi tantum laborem*: quisquis vero ad sui laboris promissa pervenerit, gratulans dicit, *Non perdi laborum meum*. Dicitur ergo labor non perisse, non quia manet perpetuus, sed quia non est inaniter fusus. Sic et patientia pauperum Christi, sed ditandorum hæredum Christi, non peribit in æternum: non quia et illic patienter ferre jubebimur, sed quia pro iis quæ hic patienter pertulimus, æterna beatitudine perfruemur. Non dabit finem sempiternæ felicitati, qui donat temporalem patientiam voluntati: quia utrumque munus donatæ donatum est, charitati.

## ADMONITIO

### IN SERMONES DE SYMBOLO AD CATECHUMENOS.

Quatuor isti sermones conjunctim vulgati alias fuerunt in tomo nono, et apud veteres codices Mss. perinde atque apud excusos appellantur de Symbolo libri quatuor, tribuunturque Augustino. Primus quidem sermo Augustinum omnino refert: non ita vero tres alii. Quippe in his tribus dicendi genus incultum et abjectum, non habet satis ingenii et gravitatis, sicuti videre est in sermone secundo, ubi legitur, capite 2: *Habemus et nos spiritualem nostrum aurigam, sanctum prophetam Eliam, qui quadrigæ igneæ superimpositus tantum cucurrit, ut metas prenderet cæli*. Scripturæ loca peregrinis verbis citantur interdum et explicantur eo modo ac sensu, quem Augustino adscribere non audemus, ut in ejusdem sermonis capite 5, n. 13 et 14. Hunc præterea sermonem tempore persecutionis Vandalicæ, demortuo jam Augustino habitum, cum Ariani Catholicos modis omnibus tentarent, beneficiis æque ac injuriis avocantes a fide, suspicamur ex illis in fine verbis: *Hæreticus Arianus non insultet Ecclesiæ. Lupus est, agnoscite: serpens est, ejus capita conquassate. Blanditur, sed fallit: multa promittit, sed decipit*, etc. In sermone tertio et quarto morantur nos causæ dubitandi etiam bene multæ, neque leviores. Possidius in Indiculo, cap. 10, recenset de Symbolo tractatus tres: sed hos in superiore tomo Sermonum habes, ordine 212, 213, sqq.

Sub finem tomi item noni editionis per Lovanienses adornatæ referuntur quatuordecim tractatus, quos paucis exceptis dubios habemus ac subditios. Horum quidam in Appendicem rejecti sunt, quidam vero hic suo loco typis minutioribus impressi, ut sermo de quarta Feria, seu de Cultura agri dominici, in cujus capite 3 locus Actuum, 1, 18, et in capite item 6 locus Joannis, VI, 51, citantur haud satis accurate: præterquam quod in capite 7 persecutio Vandalica notata videtur. Sermo etiam de Cataclysmo, ubi cap. 2 dicitur, *Baptismo restauratum corpus ad priorem statum primi hominis ante peccatum*. Et Sermo de Tempore Barbarico, qui capite præsertim 4 nonnulla continet minus consentanea sacræ Bibliorum historiæ, necnon exhortationem in fine ad roborandos Catholicos contra persecutionem Arianorum. Stilus certe horum trium æque rudis ac demissus minimeque Augustinianus. Denique eundem auctorem sapiunt tum isti sermones, tum alii supra de Symbolo tres recensiti, aliquem forte ex discipulis Augustini, cujus sententias interdum, tacito S. Doctoris nomine, profert; veluti illam in sermone de Cataclysmo, cap. 3, *Tolle verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum*: quæ nimirum ducta est ex Tractatu 80 in Joannem, n. 3. Hæsimus etiam aliquantum circa sermonem de Cantico novo, nec sine aliqua cunctatione passi sumus, cum nomine Augustini, quod olim gerit, rursum excudi. In capite 3 plures habet sententias ex sequente paulo post sermone de utilitate Jejunii, cap. 3, desumptas, scilicet, *Si... jumento insideres, quod te gestiendo vellet precipitare*, etc., inque ejus fine concionator ad baptizandos, *Merces, inquit, nostra est, ut in illo sancto fonte adjuvetis nos orationibus vestris*: quod sermonis proxime subsequentis auctor non absimiliter exposcit a baptizandis, *Pro nostra mercede, in illo sacratissimo fonte pro nobis orate*